Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8479
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Fratres: Estote factores uerbi et non auditores tantum fallentes uos metipsos: quia si quis auditor est uerbi et non factor: hic comparabitur uiro consideranti uultum nativitatis sue in speculo. Considerauit enim se et abiit: et statim obliuiscitus est qualis fuerit. Qui autem prospexerit in lege perfecte libertatis. et permanserit non auditor obliuiosus factus sed factor operis: hic beatus in facto suo erit. Si quis autem putat se religiosum esse non refrenans linguam suam. sed seducens cor suum: huiuiana est religio. Religio munda et immaculata apud deum et patrem hec est. uisitare pupillos et uiduas in tribulacione eorum: et immaculatum se custodire ab hoc seculo. S. tohem

In illo tempore: Dixit. i. d. s. Amen amen dico uobis: siquid petieritis patrem meum in nomine meo dabit uobis. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo. Petite et accipietis: ut gaudium uestrum sit plenum. Hec in prouerbiis locutus sum uobis. uenit hora: cum iam non in prouerbiis loquar uobis sed palam de patre meo annunciabo uobis. Illa die in nomine meo petetis. Et non dico uobis: quia ego rogabo patrem de uobis. Ipse enim pater amat uos: quia uos me amastis et credidistis